



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput III. De Eucharistia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

jectura) diligentissime conquisitos calo pariendo. Supposito facto: *Quæritur de jure, an Viri prædicti hoc practicando, & generaliter etiam, an filii infidelium merè politicè Catholicis subjectorum Principibus illicitè baptizentur?*

R. Neg. Si quæ enim sit Ratio in oppositum, desumenda erit à jure patriæ potestatis, cui deberent subtrahi infantes nondùm rationis usum adepti, ne aliàs subversionis periculo exponerentur. Porro hæc ratio duplici pede claudicat. Primò, quia etsi non abstraherentur ab educatione parentum, periculum subversionis abundè compensatur per hoc, quòd plurimi moriantur, antequam sinistrae instructionis sint capaces. 2. Nego, quòd potestas patriæ tam latè extendatur, ut propter bonum religionis, & parvulorum salutem irrationabiliter inviti, ac jure abutentes suo, patriæ potestatis usu, & executione privari non possint.

### C A P U T III.

#### *De Eucharistia.*

**I**N Sacro-sancta consecrata Hostia totus est Christus, totus pariter in qualibet Hostiæ seu divisæ, seu non divisæ parte, quamvis hoc ultimum autoritate Concilii Tridentini non sit definitum.

Sufficiens forma corporis est hæc: *Hoc est Corpus meum*: Sanguinis verò: *Hic est Sanguis meus*, vel: *Hic est Calix Sanguinis mei.*

Materia Corporis Christi est, panis triticeus; Sanguinis autem, vinum de vite, cui ex mandato Divino & Ecclesiastico paululum admiscetur aquæ, quæ immediatè transit in sanguinem.

Effectus hujus Sacramenti est, collatio gratiæ secundæ. Alios effectus hujus Sacramenti enumerat Conc. Trid. Sess. 13. cap. 12. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me, & tamquam antidotum, quo liberentur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.*

## A P P E N D I X

### *De præparatione ad S. Eucharistiam requisita.*

P. I. **Q**Uale jejunium sumptioni Eucharistiæ præmittendum.

R. Jejunium naturale ex Lege Ecclesiastica. Et hoc testatur S. Aug. epist. 118. ex omnium Ecclesiarum consuetudine, Eucharistiam sumi non posse nisi à jejunis.

Ut jejunium naturale solvatur, requiritur, quòd aliquid sumatur per modum cibi, vel potûs, sive ab extrinseco transmittatur in stomachum per actionem vitalem: proindè

1. Non solvitur jejunium, si flegma, vel sanguis ex capite perfluens deglutiatur. 2. Jejunium non violatur, si cum aëre, dum respiramus, muscam involantem, vel quid simile deglu-

R

tia

tiamus. 3. Nequè jejunium infringitur, si quis os abluens, unam, alteramvè aquæ guttam præter intentionem cum saliva introsumat. 4. Neque reliquæ ciborum præcedentis diet, quæ dentibus adhærent, communioni obstaculum ponunt, quando per modum saliva inadvertenter transmittuntur. Cæterùm quando quis sese reflectit, illas expuere omninò expedit.

2. Utrùm sumptio tabaci naturale infringat jejunium?

2. Dum sumitur fumo per tubulos, aut per masticationem, jejunium naturale violatur, eò quòd plurimi tabaci particulæ necessariò ad stomachum transire debeant.

Profectò, si quis saccarum ori imponat, cujus particulæ sensim resolutæ, unà cum saliva in stomachum trajiciuntur, dubium non est, quin naturale solvat jejunium; ergò similiter.

De tabaco naribus sumpto satis constat, quòd jejunium non violet, quamvis indecens sit illud ante Sacramenti sumptionem sumere. Proindè Urbanus VIII. Ecclesiæ Hispalensi præcepit, nè de cætero in Ecclesiis prædictæ Diocæsis, earumque atriis, ac ambitu, tabacum, sivè solidum, sivè in frustra concisum, ac in pulverem redactum, ore, vel naribus, aut fumo per tubulos sumere audeant, vel præsumant sub pœna excommunicationis lata sententiæ, eo ipso absque aliqua declaratione per contrafacientes incurrendæ.

3. An subindè liceat, soluto jejunio, Eucharistiæ Sacramentum accipere?

R. Aff. 1. In articulo, vel periculo mortis. 2. Si immineat periculum irreverentiæ gravis, nisi Hostia à non jejuno statim sumatur: V. G. quando aliàs in manus hæreticorum, vel infidelium incideret. 3. Quando urget necessitas perficiendi Sacrificium, V. G. Si Sacerdos post consecrationem recordetur, se non esse jejunum, vel si loco specierum vini aquam sumpserit, vel alio Sacerdote deficiente in Sacrificio per morbum, nullus adsit ad Sacrificium complendum, nisi non jejunus. 4. Sacerdos potest reliquias sui Sacrificii, dum est in Altari, etiam non jejunus sumere, V. G. Si post distributam communionem in fine Sacrificii supersint aliquæ particulæ in Patena, vel Corporali. 5. Quotiescumque est periculum, nè particulæ aliquæ consecratæ perdantur, vel dissipentur, possunt etiam à non jejuno sumi, quia hoc exigit reverentia huic Sacramento debita.

4. An, & quæ mundities corporalis sumptioni hujus Sacramenti prærequiratur?

R. 1. Immunditia corporalis, quæ malum culpæ non involvit, sed dumtaxat horrorem quemdam incutit, ut lepra, fluxus sanguinis &c. Communionem non impedit: quia talis immundities commiserationem potius, quàm punitionem meretur.

R. 2. Mulieres Catholicæ in puerperii, vel men-

strui purgatione à sacra Communionem arce-  
 non debent, ut ostendit P. M. N. Lupus p. 3.  
 dissertatione de actis Leonis IX. ubi contra-  
 riam consuetudinem Græcorum ab Ecclesia  
 Latina ostendit non admissam.

R. 3. Immundities, seu pollutio nocturna, si sit  
 omninò inculpabilis, non impedit de necessi-  
 tate Communionem diei sequentis; Commu-  
 nicaturus tamen distractionem mentis, & ima-  
 ginationem carnalem, si quæ super sit, medi-  
 tatione, piâ lectione & conetur abigere.

R. 4. Actus conjugalis reddendi debiti causâ  
 exercitus, Communionem non impedit. Un-  
 de Franciscus Salesius p. 2. introduct. ad vitam  
 devotam cap. 20. *Propter solutionem debiti, in-  
 quit, nullus à Communionem averti debet, si aliâ  
 devotio ad communicandum ipsum provocat.*

Interim adhortandi conjuges, ut uno, al-  
 terovè die ab actu matrimoniali abstineant  
 priusquam communicent: nam *prestantissimè  
 hujus Sacramenti dignitas postulat, ut qui matri-  
 monio juncti sunt, aliquot dies à concubitu ux-  
 orum abstineant, Davidis exemplo admoniti, qui  
 propositionis panes, cum à Sacerdote suscepturus  
 esset, se suosquè pueros ab uxorum consuetudine  
 puros jam tres dies esse professus est.* Ita Actus  
 Conc. Mediolanensis sub S. Car. Borromæo.

5. An status gratiæ, & amicitæ Divinæ sufficiat  
 ut quis dignè communice?

R. Neg. Quia ad Communionem admittendi  
 non sunt, qui sufficientem hujus mysterii no-

titiam non habent. Insuper requiruntur devotio intensa, & reverentia submissa.

6. Quibus expedit rarò, aut sæpè communicare?

¶ 1. Ut frequens alicui Communio permittatur, juxta spiritualis vitæ instructores, requiritur, ut studiosè evitentur non dumtaxat quævis mortalia, sed etiam venialia, & affectum erga leviora peccata deposuerit. Constat ex S. Francisco Salesio Ini. Introductionis ad vitam devotam. Circa resolutionem

Notandum, quòd Laici non debeant se conformare consuetudini Sacerdotum, quotidie ferè communicantium, quamvis ipsis essent pares ratione, & pietate vivendi, quia Sacerdotes, utpote publici precatores ab Ecclesia constituti, ex officio, & quasi nomine populi sacrificant, & communicant, juxta illud Apost. ad Hebr. 5. *Omnis namquè Pontifex ab hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.*

¶ 2. Qui tepidos inter & fervidos medii sunt, ad Communionem mensuram videntur admittendi. Audite S. Bonav. in 4. Sent. dist. 12. a. 1. q. 2. *Si quis videat se esse in statu primitivæ Ecclesie, laudandum est, quotidie communicare.* De qua Ecclesie ætate Actorum 4. dicitur: *Multitudini credentium erat cor unum, & anima una... Erant illis omnia communia... Erant quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & perseverantes in orationibus &c.*

*Si quis autem videat se esse in statu finali Ecclesie, utpote frigidum, aut tardum, laudandum est, quòd rarò; si autem modo medio, & aliquando, debet cessare, ut addiscat revereri, aliquando accedere, ut inflammetur amore.*

7. Quomodo pueri ad primam Communionem sunt disponendi?

¶. 1. De pueris ad primam Communionem admittendis ita statuunt Acta Concilii Mediol. sub S. Carol. Borrom. ut Confessarius *ter, aut quater in Confessione eos audierit, & de fructu, & utilitate hujus Sacramenti, quantàque reverentiâ, & integritate conscientie ad illud accedendum sit, monuerit.* Ratio est, quia pueri rebus sensualibus quasi immerfi, ludisque puerilibus admodum distracti, ad res spirituales minùs attendunt: proindè Confessarius uno, alterovè examine securus esse vix potest, quòd notitiâ necessariâ sint imbuti, nisi aliundè constet. Insuper non adeò facilè deprehendi potest, an Deum super omnia diligant, quia vanitatibus, & sensibilibus delectationibus nimium affici solent.

Denique non rarò evenit, ut sæpiùs Sacramentali absolutione vacui à Confessariis deprehendantur dimissi, vel quia de sufficienti rationis usu, vel de amore Dei super omnia, & efficacia propositi, vel de materia absolutioni substrata dubium fuit. ex hoc capite consultum sæpiùs, imò necessarium, ut Confessionem generalem primæ Communioni præmittant.



- ¶ 2. De pueris, qui innocentiam Baptismalem conservârunt, nihil difficultatis esse potest. Cæterùm Confessarii diligenti examine id explorare debent, quia justificationis gratia ob rationis usum obtentum multipliciter & facile perditur. Iphis sufficere non debet, quòd actiones mortaliter peccaminosas non inveniant, sed sedulò investigandum, an voluntas per amorem Dei super omnia à primo, sed morali rationis diluculo ad Deum fuerit conversa, & etiamnum sit, quia pueri sæpiùs in lusus & vanitates cor ita divisum habent, ut primum Decalogi præceptum non adimpleant.
- ¶ 3. Qui amore Dei vacui deprehenduntur, mediis facilioribus, & tenellæ ætati accommodatis ad caritatem DEI super omnia priùs manuducendi sunt, quàm ad Eucharistiæ Sacramentum admittantur.

# TRACTATUS

DE

## SACRAMENTO POENITENTIÆ.

### CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Sacramentum Pœnitentiæ, & quænam ad illud requirantur?*

**P**œnitentia est Sacramentum à Christo institutum, in quo ministerio Sacerdotum remittuntur actualia peccata, & solvuntur

R 4

omnia